

dem intrinsece in Deo, et realem entitatem indistinctam ab actu necessario, ita quod licet actus ipse liber, ejus tamen entitas, et perfectio libera non sit. Sed tamen dicunt distinctionem ejus a necessario, vel distinctionem volitionis a nolitione sumi penes respectum rationis erga objecta creata, quæ solum sunt libere volita, Et hunc respectum addere supra actum necessarium, aut volitionis ad nolitionem, eo quod erga objecta creata Deus non potest fundare relationem realem. Et sicut ideæ distinguuntur in Deo penes diversos respectus rationis, licet in se idea realis entitas sit, ita volitio et nolitio inter se et ab actu necessario distinguuntur penes diversos respectus rationis; in se tamen intrinseca et realis entitas sunt, indistincta et una. Hæc sententia sic in genere videtur communius arripisse Thomistis, quia sic videtur insinuari a D. Thoma, nam quod actus liber in Deo indistinctus sit a necessario, et ex parte subjecti necessitatem habeat. D. Thomas tamquam extra controversiam supponit, dicit enim q. xxiii de verit. art. iv: « Quod divinum velle necessitatem habere ex parte ipsius volentis, et actus indubitabiliter verum est: nam actio Dei est ejus essentia, quam constat esse æternam. Unde hoc in quæstione non ponitur, sed utrum velle ipsum necessitatem habeat per comparisonem ad volitum, quæ comparatio intelligitur, cum dicimus Deum velle hoc vel illud. » Ubi utrumque videtur, affirmare, et quod actus ille in sua perfectione seu entitate necessarius et realis est in Deo, et quod habitudo ad volita est comparatio, quæ intelligitur ad illa, quod solum aliquid rationis est. Et generaliter has relationes Dei ad creaturas esse rationis, probat S. Thomas i p. q. xiii, art. vii, licet respectus qui consequuntur actio-

nem volendi, et amandi ab æterno dicantur de Deo, ut ibidem dicit ad iii, et q. xiv, art. xv ad i, et q. xv, art. ii ad iv. Habitudo autem istam volitionis divinæ ad creata volita, vocat D. Thomas habitudo non necessariam in hac quæstione xix, art. iii ad v, et q. xiii de verit. art. iv ad ii et iv, et i contra gent. cap. lxxxii, non propter defectum volitionis in se, sed propter inadæquationem voliti ad ipsam volitionem, quia excedit eminentia sua utrumque volitum, ut dicit citato loco contra gentes. Unde communiter Thomistæ hanc viam sequuntur, Capreolus in i, dist. xlv, quæst. i, art. ii, ad argumenta contra i et ii conclusiones: Ferrariensis, i contra gent. cap. lxxv et lxxvi: Sylvester in conflato i part. quæst. xix, art. ii: Bagnez in hac prima parte q. xix, a. ii: Zumel, ibi dub. i: Gonzalez, disp. liii: Nazarius, q. xix, art. ii controversia unica: Navarrete, tomo ii, contr. iv, v et vi: Carmelitani Salmanticenses tract. de voluntate, disp. vii, et communiter alii. Imo et Scoto, ejusque scholæ attribuitur a p. Suarez disp. xxx met. sect. ix, num. xxx, citatque ipsum in prima parte, dist. xxxviii, ubi sentit indifferentiam libertatis divinæ non esse ad diversos actus; sed ad diversa objecta, ad quæ non terminatur reali respectu. Et idem sequitur p. Suarez citato loco met. præsertim n. xxxvii, et sequentibus, et alii multi quos late citat et sequitur p. Alarcon, tract. iii de volunt. d. iv, cap. viii, n. iv.

XI. Cæterum hoc quod ita dicitur quasi in communi et in genere, nempe libertatem Dei importare intrinsecum velle cum connotatione et terminatione ad objectum volitum quæ est respectus rationis, urgetur illa vulgari difficultate, quomodo ille respectus rationis se habeat ad libertatem divinam, ut ille actus de-

terminetur et constituatur in ratione liberi, talis volitionis aut nolitionis; si quidem respectus iste rationis vel sumitur formaliter, ut est quid fictum per intellectum nostrum, vel fundamentaliter, ante considerationem nostri intellectus, prout ex parte rei præbetur sibi fundamentum. Primo modo non potest pertinere ad actum liberum constituendum in esse liberi, vel distinguendum a necessario, vel ad distinguendum volitionem et nolitionem inter se: nam hoc modo est solum quid fictum per intellectum, et in re nihil, et sic ratio libera in ratione liberi, et ut est quid distinctum a necessario esset fictio in Deo, et sic Deus non vere et in re esset liber, sed fecte, in re autem solum vellet necessario, nec id haberet ante operationem nostri intellectus, quod totum mera absurditas est. Secundo modo reproducitur difficultas supra posita, non evacuatur: illud enim fundamentum, est aliquid reale: (nam si esset fictum, rediret argumentum de ente rationis constituyente liberum in esse liberi) et sic cum actus liber ut liber possit non denominare Deum, quia posset non velle istas creaturas: ergo aliquid reale potest deesse Deo, aut si non potest; ergo habet modo nolle mundum sicut et velle quantum ad denominationem, quod implicat, vel si non habet et hæc nolitio quantum ad denominationem et distinctionem a necessario est aliquid reale, deest aliquid reale in Deo, quod utique est aliquid divinum: intra Deum enim nihil est creatum. Quod si dicatur illum respectum rationis non pertinere ad constitutum liberi ut liberi, sed consequi ad illud: ergo ille respectus rationis quando advenit, et afficit Deum, jam supponit liberum constitutum in esse liberi ut distinguitur a necessario, et volitionem ut

distinguitur a nolitione; et instauratur argumentum, quia illud, prout sic est aliquid reale, et prout sic, potest deesse Deo, quia libere vult, et poterat non velle etiam antecedenter ad respectum rationis.

Propter hoc divisi sunt auctores qui respectum rationis requirunt ad realem actum liberum, et resultant duæ sententiæ seu moderationes circa respectum ipsum rationis, duæ circa ipsum intrinsecum velle.

XII. Circa respectum rationis quidam dixerunt pertinere ad ipsum constitutum liberi in esse liberi. Insinuant id aliquid antiquiores Thomistæ loquentes de hoc respectu rationis in actu libero, sicut de respectibus idealibus in distinctione idearum. Et videri potest mag. Bagnez ubi supra. Alii sentiunt solum se habere istum respectum rationis concomitanter, vel consecutive ad determinationem liberam in Deo, quasi connotatio quædam et terminatio ad objectum creatum; sed tamen ad denominationem liberi in Deo necessario talis connotatio requiritur, aut consequitur. De quo videri potest m. Gonzalez disp. liii, et eam attribuerat m. Zumel, et p. Suarez Capreolo, Gregorio et aliis. Videri etiam possunt Salmanticenses Carmelitani, ubi supra citato tractatu iv, disp. vii, dub. vii, et Nazarius, controversia unica super art. ii. Et communius Thomistæ hujus temporis. Et eam tandem sequitur p. Suarez ubi supra n. xlvii et xlviii.

XIII. Circa ipsum autem velle intrinsecum et reale, p. Suarez existimavit hunc actum liberum in Deo esse ipsummet actum necessarium, qui in Deo est, quoad totam suam actualitatem, et perfectionem ex parte subjecti, sed non necessario præbet, aut explicat suum adæquatum effectum in ordine ad omnia objecta, sed in manu ejus est velle

aut non velle objecta. Hoc autem non potest inveniri in formis creatis informantibus subjectum, ut videlicet sint in subjecto, et non præbeant totum suum formalem effectum, inveniri tamen in Deo qui est actus purissimus non informans aliquod subjectum, et ita eminentiori modo se habet illa forma, quod constituit Deum volentem, et non constituit necessario attingentem omnia objecta, ad quæ talis actus potest se extendere. Ita docet loco supra citato ex met. sect. ix, num. xxxvii. Unde in constitutione actus liberi non recurrit ad respectum rationis (licet illum admittat ut consecutum, n. XLVII et XLVIII, sed ad ipsum intrinsecum velle, quod ex eminentia sua, quatenus non est forma informans, non obligatur dare aut explicare totum suum effectum formalem in ordine ad objecta, licet quando se explicat, solum terminari et tangere objecta respectu rationis, non neget Suarez. Sed quia premitur illa difficultate hic modus dicendi, quomodo realis denominatio liberi proveniat a forma necessaria, ita quod possit deesse illa denominatio, et tamen formans denominans realis sit, et necessario existens in Deo, recurrit p. Suarez num. XLVI ad terminationem illius formæ erga objectum, et dicit quod illa forma volitionis necessaria est quoad esse; et sic dat effectum formalem, seu denominationem necessariam in entitate, sed non necessariam, sed liberam quoad terminationem. Sed hoc premitur eadem vi et difficultate, quia illa terminatio ut libera vel est realis et intrinseca Deo, vel extrinseca et rationis. Si realis; ergo aliquid reale intrinsecum potest deesse Deo, et inciditur in opinionem Cajetani vel Fonseca: si extrinseca, inciditur in opinionem Aureoli: si rationis, inciditur in opinionem supra rela-

tam de constitutione liberi per aliquid rationis, cum tamen liberum ut liberum, sit aliquid reale, ut pote realem effectum habens in creaturis.

XIV. Alii posuerunt intrinsecum vel liberum in Deo cum eadem contingentia et distinctione aut pluralitate actuum quam habet in nobis non tamen formaliter, sed virtualiter. Introducta est non pridem ab aliquibus hæc philosophandi ratio in scholis, qua putant se magna et arcana mysteria Dei explicare per hanc virtualitatem, quia eminentissima illa divinitatis forma virtualiter facit id, quod diversæ formæ in nobis imperfecto modo; ibi autem simplicissima forma perfectissime. Et credo emanasse hunc modum explicandi ex eo quod in distinguendis attributis divinis frequenter contra antiquos ex schola Scotistarum dicimus non distingui formaliter actu a parte rei in Deo ante operationem intellectus, sed virtualiter, id est, fundamentaliter, quia in Deo est fundamentum, ut intellectus noster distinguat attributa, quæ realiter sunt unum quid simplicissimum. Cum ergo videant isti auctores dari in Deo realem distinctionem virtualem, non obstante simplicitate summa, inde derivarunt discursum ut quidquid factis est in creaturis et imperfecto modo apud nos ponitur addito nomine virtualitatis, transferatur in Deum; et sic ponit potentiam seu actum primum virtualem in Deo, contingentiam et variationem seu multiplicationem actus liberi virtualem in Deo, diversitatem virtualem in Deo, egressionem actus virtualem in Deo, et sexcenta alia, quod nihil aliud est dicere quam quod Deus æquivalenter, sed eminentiori modo est omnia ista, et exercet omnia ista; et uno verbo ponunt in Deo perinde valere eorum quæ in creaturis sunt (liceat

forense curiæ verbum ad applicationem divinorum transferre) ut quia ea quæ in creaturis facile intelligimus per pluralitatem et imperfectionem, in Deo autem difficillime propter summam infinitatem, pacifice nobis persuadeamus ea intelligere per perinde valere, quia Deus æquivalenter est totum id quod in creatura, seu perinde valet atque id quod in creatura ponimus. Et sic virtualiter realiter Deus discurrit, Deus consiliatur, et inquit, Deus habet nolitionem et volitionem actualem potentiam voluntatis, quia habet virtualem potentiam, seu actum primum, et consequenter virtualiter vult per volitionem distinctam a nolitione, et ab actu necessario, quia perinde valet, atque id quod nos per plures actus facimus.

XV. Certe hic modus dicendi vel difficultatem hanc irridet et alias similes, quas in theologia per hanc virtualitatem et perinde valere creaturam vult solvere, aut nihil omnino tangit de his difficultatibus. Nam nullus vertit in dubium quin omnes perfectiones creatæ sint in Deo eminenter et virtualiter, ac proinde Deus in se simplicissimus æquivalet omnibus creaturis, sicut senarius æquivalet ternario et superat, et aureus nummus pluribus æreis. Sed quid sit illud sit eminenter æquivalens creaturis, et quomodo in Deo inveniatur formaliter, hoc inquiremus. Unde S. Thomas infra q. xxv, a. 1 ad III dicit, quod essentia divina in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis: nec tamen per virtualitatem illam et æquivalentiam ad res creatas explicari solum possunt mysteria divinitatis, præsertim attribuendo Deo per hanc virtualitatem et æquivalentiam non solum id quod perfectionis est in creaturis, sed etiam multa quæ imperfectionem in ea

involvunt. Sed tamen quidquid sit de hoc, si prædicta sententia nihil aliud vult, quam quod ille actus volitionis, qui est unicus, et actus purus se determinat ad volendum aut nolendum, et terminatur vel non terminatur ad objectum faciendo per illum unicum actum qui non egreditur a potentia, id quod in nobis fit per plures actus et per egressionem eorum a potentia, dicit rem verissimam, sed nihil explicat de difficultate præsentis, in qua indagamus quomodo in Deo formaliter sit ista libera terminatio et denominatio in Deo, et non solum quomodo contineat ea quæ libertatis sunt in creaturis. Nam modo Deus non solum virtualiter, sed formaliter vult Petro gloriam et Judæ pœnam, cum Scriptura tam aperte volitionem Deo tribuat, ut illam negare formaliter Deo, sicut et intelligentiam, omnino intolerabile sit. Posset etiam Deus non velle formaliter Petro gloriam, neque mundo huic dare esse; licet ergo illud formaliter velle contineat virtualiter, et eminenter meum velle creatum, tamen per seipsum et per suum velle increatum Deus formaliter vult unum, et non vult aliud, et posset non velle ab æterno hoc ipsum quod vult. Explica ergo mihi quid sit hoc formale velle increatum, et quomodo abesse potest a Deo, et omitte illam continentiam virtualem mei velle, quod nihil mihi explicat de difficultate, sed id dicit quod omnes debemus supponere, nempe velle divinum continere eminenter velle creatum et nolle.

XVI. Et confirmatur, quia Deus virtualiter continet et æquivalet omni velle et nolle creaturarum de facto propter suam infinitam eminentiam et hoc convenit illi necessario, sicut et ipsa eminentia infinita: ergo convenit antecedenter ad velle vel nolle liberum ut libere denominat: ita

quod potest convenire, vel non convenire Deo; si ergo in illa antecedentia ad liberam determinationem Deus æquivalenter, et virtualiter erat volens et nolens hoc objectum v. g. mundum esse, et produci, per quid determinata est illa virtualis contingentia, et continentia, ut magis denominaret Deum volentem de facto producere mundum, quam nolentem? Per virtualem continentiam non potuit, quia hanc præhabebat Deus, et necessario præhabet in sua infinita eminentia. Per formalem determinationem negant hi auctores id fieri, aut si non negant, incidunt in difficultates, quas in aliis sententiis volunt vitare, et nihil de ipsa difficultate principali declarant. Ergo hoc perinde valere, et virtualis contingentia, licet in hoc verum dicat, quod Deus æquivalenter et virtualiter est volens et nolens unico actu quod nos per plures habemus; difficultatem tamen non explicat in puncto quod quærimus, quomodo, et per quid ex illa virtuali eminentia Deus determinetur ut formaliter sit et denominetur volens potius quam nolens cum virtualiter ex se sit utrumque.

XVII. Ad istorum auctorum sententiam reducitur alia, quæ recentioribus quibusdam arridet, inter quos est p. Salazar libro de conceptione Virginis iv cap. xx, sect. iii, a num. XLVII, qui ponunt determinationem liberam Dei, non in ipso actu secundo volendi, quem dicunt re vera esse de se volitionem et nolitionem omnium objectorum, sed in applicatione istius actus ad hoc potius objectum volendum quam illud, quæ applicatio est quasi in actu primo. Quid autem sit ista applicatio? Id explicant ex eo quod aliqui ponunt in voluntate creata, quod se determinat ad volendum per quamdam moralem et virtualem volitionem, seu quemdam conatum, quo

dicatur in actu primo se determinare ad volendum hoc potius quam illud, et velle quia vult, non quia vult actu quodam reflexo: si enim esset abire in infinitum, sed actu quodam virtuali, quo se applicat et conatur ad hoc potius quam illud, et dicitur libertas causæ quasi applicata et determinata in actu primo: hac ergo ratione dicunt Deum uti illo actu, qui est in se nolitio et volitio objecti, illumque applicare libere, ut sit volitio determinate respectu hujus objecti ex virtualis applicationis, quæ est volitio virtualis, et moralis, seu determinatio voluntatis, ut velit, vel nolit. Sed nec isti feliciore mente virtualementem libertatem explicarunt. Nam præterquam quod rem certissimam nempe libertatem Dei, incertissima opinione explicant, videlicet illa applicatione et conatu in actu primo, qui si potest immediate exire a potentia indifferenti, et non per aliam priorem applicationem determinata, ne detur processus in infinitum, cur non poterit etiam actus secundus sic exire sine illo intermedio conatu determinante; plane hoc, inquam, pro libertate divina nihil conficit, quia illa applicatio, et determinatio in actu primo quantumcumque moralis, aut virtualis dicatur, vel est aliquid reale, vel rationis. Si rationis, non potest realem determinationem liberam constituere, et realiter determinatam reddere volitionem Dei, sed fide. Si aliquid reale vel est ipsemet actus secundus, vel aliquid reale intrinsecum antecedens per modum actus primi, vel aliquid extrinsecum. Si ipsemet actus secundus, frustra laboratum est ponendo applicationem ad illum in actu primo, sed reciditur in alias sententias, earumque difficultates, quomodo scilicet iste actus secundus determinetur ad volitionem potius quam nolitionem. Si

est reale intrinsecum, ut actus primus, ille potest abesse, cum libere se applicet ad volendum, cum posset applicari ad oppositum: si enim necessario applicaretur ad volendum, non posset nolle illud, et velle oppositum; et sic indicitur in opinionem Cajetani. Si est extrinsecum, cadit in opinionem Aureoli, quod non datur velle intrinsecum liberum in Deo; ergo nihil applicatur per hanc opinionem.

SECUNDÆ PRINCIPALIS SENTENTIÆ
MODERATIONES.

XVIII. In prima linea, seu ordine opinionum quæ derivatur ex Aureoli sensu pono opinionem Vasquez in hac prima parte, disp. LXXX et aliam Arrubalis, qui illum sequens moderari conatus est hic disp. LIV, c. III, et aliorum qui illos sequuntur et in actu libero constituendo vel applicando confugiunt ad denominationes extrinsecas, seu ad aliquid indifferens, non tamen ex parte ipsius velle quod intelligitur ut actus immanens Dei, quam ex parte ipsius productionis vel effectus ad extra, penes quorum connotationem dicatur illud velle divinum liberum et indifferens determinari, ut sit potius volitio, quam nolitio. Et quidem p. Vasquez disputatione illa LXXX, c. II, quatuor dictis videtur suam sententiam absolvere.

Primum est negativum. Volitio Dei libera non est perfectio intrinseca Dei, quæ libere ei convenire aut disconvenire possit, nec est nuda relatio et habitudo rationis ad creaturas, non est nuda essentia divina, quæ necessario inest Deo.

Secundum est positivum. Voluntas libera est essentia divina significata per modum actus eliciti, includit tamen habitudinem quamdam ad res futuras, quæ libere Deo

convenit, sicut res libere sunt futuræ.

Tertium dictum: Habitudo hæc consurgit tamquam ex fundamento ex rebus ipsis, quæ necessariae non sunt, et sic etiam libere Deo convenit, non intrinsece, sed extrinseca denominatione, ita tamen, quod si res futuræ non essent, libera voluntas in Deo non esset, quæ cum illo respectu rationis significatur. Sed quia vidit Vasquez difficultatem manere integram, quia res illæ libere futuræ, quæ hanc habitudinem fundant, supponunt liberam voluntatem Dei, si quidem ideo sunt libere futuræ, quia a libera voluntate Dei causantur, atque adeo si supponunt liberam Dei volitionem, antea talem habitudinem datur libera volitio in esse liberi. Per quid ergo constituitur pro illo tunc? Ad hoc solvendum addit Vasquez.

Quartum dictum his formalibus verbis. Nodus hic mea sententia insolubilis est, vix enim vitare possumus circulum in reddenda ratione. Addit hunc actum liberum non habentem necessariam connexionem cum objectis, ita in Deo esse, quod licet necessario sit in Deo, libere tamen comparatur cum creaturis. « Cæterum licet hoc modo assignemus libertatem in Deo comparatione facta cum objectis et rebus creatis, tamen non assignamus sufficientem rationem ex parte Dei, cur tunc actu libero efficaci referatur ad hæc potius quam ad illas, si quidem idem omnino in se manens, poterat eas non velle, quas vult. Quare cum rem exactius enodare contendimus, difficultatem prædictam evadere non possumus. » Sic Vasquez.

XIX. Ruentem sub tantæ difficultatis telo ducem suum, ac prorsus oneri succumbentem, relevare conatus est fidus ejus discipulus p. Alarcon, tr. III de voluntate, disp.